



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Sententiæ declaratoriæ excom. contentæ in c. Dilecto, de sent. excom. in
6. Form. XXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

Siandam Ecclesiam consecratam pollutam, valeat concedere facultatem, ut in ea ante reconciliationem celebrentur Divina officia: hæc tamen opinio in praxi servanda non est, sed per Episcopum urgente aliqua justa causa alio modo erit providendum, v. g. concedendo facultatem, ut celebrentur Missæ in loco decenti non sacro super altare portatile, D. Thom. in sum. par. 3. quæst. 83. art. 3. ad 2. vel impri- vatis Oratoriis, & aliis locis institutis ad Divina celebranda, ut monent Barbosa alleg. 28. nu. 62. Gavant. in manual. Episc. verb. Ecclesia reconciliatio n. 9. Pac. Jord. loco supra citato n. 152.

24 Notandum secundò, quod si defunctus sepultus in Ecclesia, non esset excommunicatus, sed nominatim interdictus, quamquam in loco sacro sepeliri non potuerit, & sepelientes excommunicationem d. Clementinæ incurrerint: adhuc tamen ibi sepultus non facit locum pollutum, cum hoc non sit jure expressum, ut advertunt Sayr. de censur. lib. 5. cap. 17. numer. 22. circa fin. Pirthing. in jus can. lib. 3. tit. 40. numer. 13. circa fin. & sic tali calu Ecclesia nulla reconciliatione indiget.

25 Notandum tertio, quod extraneus, qui hujusmodi cirminis non est particeps, si missam celebret, aut alia divina officia peragat, vel corpora defunctorum sepe-

liat in Ecclesia publicè violata, quamvis mortaliter peccet (nisi urgente necessitate faceret de licentia Episcopi,) irregularis tamen, aut suspensus non efficitur, quia violatio Ecclesiæ non est proprie censura, ut de veriori Sententia tenent, Sayr. de censur. lib. 2. cap. 4. n. 12. ver. qui verd., & lib. 5. cap. 16. n. 29. Pac. Jord. d. tom. 1. lib. 5. tit. 12. n. 141. & 142.

De excommunicatione contenta in
cap. delicto de sent. ex-
com. in 6.

Frequenter contigit, quod volentes Episcopi visitare loca exempta suæ Dicēsis, vel quia sunt in possessione visitandi, vel quia loca sunt jure delegato Concilii vel alio legitimo titulo, quod ad hoc ordinariis subiecta: adhuc nolunt exempti, visitationem recipere, neque Episcopum ad visitandum admittere: ideoque in actu visitationis sese opponunt, & etiam violenter resistunt. Unde Episcopi ad tuendam propriam jurisdictionem, possunt renuentes statim, & de facto ablique monitione excommunicare, tanquam pars, & Executor officii, non tanquam Judex, quæ excommunicatione erit registranda per Notarium assumptum in Actis Visitationis, & postea publicanda modo sequenti.

Decreti Excommunicationis

F O R M U L A XXXIX.

Die... mensis... anni... Cum Illustrissimus, & Reverendissimus D: Episcopus N. exerceret suam jurisdictionem visitando, N. & N. ausi fuerunt de facto resistere, sibique volenti Ecclesiam N. ingredi, & visitare, sese opposuerunt: quare ipse Reverendissimus Episcopus in ipso actu manifestæ violentiæ sibi illatae, pro defensione, suorum jurium vim vi repellendo, ipsos prænominatos N. & N. excommunicavit, & contra eos mandavit Cedulones affigi, prout ex actis visitationis.

Ita est N. Visitacionis Actuarius rog.

K 2 Si de-

SI denunciano, e dichiarano per tanto scommunicati di scommunica maggiore li sopradetti N. & N. per essersi opposti con violenza a Monsignor Vescovo nell'atto che voleva visitare la Chiesa, (ò Monastero N. & hanno impedito, che la visita non si faccia, acciocche da tutti siano evitati &c.

Lo stesso N. Attuario della Visita

Luogo del  Sigillo.

S U M M A R I U M.

- 3 Episcopus, qui per modum defensionis & tanquam pars, utitur jure suo, potest injuriam censura propulsare absque monitione.
- 2 Visitator, si sibi impediatur aditus ad visitandum, non debet frangere Portas Ecclesie, sed ut gladio spirituali.
- 3 Patentati S. Officii in his, quae concernunt disciplinam Ecclesiasticanam subjiciuntur Ordinario Visitatori.
- 4 Moniale exemptae impidentes Visitationem, quomodo censuris sint coercendae, ostenditur.
- 5 Visitator excedens visitando terminos sua facultatis, justè repellitur.
- 6 Attuario Visitationis plenè creditur in his, quae pertinent ad visitationem, & num. 7.
- 8 Visitator antequam incipiat visitare, debet deputare Attuarium cum facultate Notarii publici.

A D N O T A T I O N E S.

VIM, VI REPELLENDO. Hoc dicitur in Formula, ad demonstrandum, quod Episcopus in ferenda hac censura, non debet assumere partes Judicis, sed aduersus potentiam, & violentiam renuentium visitationem, eodem tempore, quo repellitur, gladio ecclesiastico, debet tanquam pars extrajudicialiter injuriam propulsare, ut habetur in hoc c. dilectio de sent. excom. in 6. & agendo sic, non astringitur ad juris ordinem servandum: imo hoc pacto se reum constituit, & aduersarios actores facit, quos oportet conqueri de injusta excommunicatione; quae tamen absque ulla monitione valida, &

justa est, ut communiter docent, Barb. in d.c. d. delicio n. 5. & seqq. & supra Concil. sess. 25. c. 11. n. 17. de regular. Genuen. in prax. cap. mihi 18. n. 2. ubi dat formulam Decreti scribendam à Notario Ciarlin. contr. l. 1. cap. 65. num. 12. Tambur. de jur. Abbatiss. disp. 17. quæst. 3. num. 4. Fagn. in c. procurations de cens. à num. 29. ad 35. & per tot. ubi quod ex hac verissima conclusione oritur limitatio, & patet responsio ad jura quæ dicunt, sententiam excommunicationis ferendam non esse sine causæ cognitione, & monitione, ut c. nemo 2. quæst. 1. c. sacro de sent. excom. & c. 1. eod. tit. in 6. quoniam vindicant sibi locum, quando Episcopus procedit ut Judge, non autem quando poedit ut pars, & tanquam ille, qui utitur jure suo tanquam per speciem defensionis, ut hoc casu, tunc enim sine causæ cognitione, & monitione, tenent excommunicationis Card. de Luc. Miscellan. disc. 15. num. 9. ver. ult. Graff. dec. aur. par. 2. in Appendix l. 3. c. 1. n. 42.

Et quamvis Barb. supra Concil. loco citato n. 16. & de jur. Eccles. lib. 1. c. 43. n. 139. Ciarlin. d. c. 65. n. 11. Tambur. d. q. 3. n. 4. & Ventrigl. in prax. par. 1. annot. 58. § unico n. 88. velint, quod renuentibus Regularibus, vel aliis exemptis visitationem, & claudentibus ostium Ecclesie vel Monasterii, liceat Episcopo vim inferre, & ostium frangere, mihi tamen magis placet in praxi sententia Graffii dec. aur. par. 2. lib. 3. c. 27. nu. 59. ubi sic ait — Visitator non debet frangere portas Ecclesiarum si sibi denegetur aditus ad faciendam visitationem, ita Innoc. in d. c. 1. de immunit. Eccles. quia bona Ecclesiarum sunt Sancta Sanctorum, & Domino consecrata &c. & sic quæ violentiam facit, sacrilegium committit

12. q. 2. c. nulli liceat, &c. quicunque, sed potest uti gladio spirituali, id est excommunicatione, vel interdicto, facit text. in c. dilectio de sent. excom. in 6. Et ita defendere suam possessionem, hoc est visitationem ita not. per Innoc. Et Host. in c. venerabilis de cens. &c.

3 Prædicto autem gladio spirituali poterit Episcopus Visitator uti, etiam contra patentatos Tribunalis S. Officii, qui in his, quæ concernunt disciplinam Ecclesiasticam, & morum correctionem non sunt exempti, sed possunt, & debent visitari, prout S. Congr. sub die 16. Januarii 1672. rescripsit Episcopo Meliten. his verbis - Ha risoluto questa S. Congregatione del S. Officio, che in occasione della Visita, e quanto alla disciplina Ecclesiastica, e costumi, possa V. S. correggere, e punire i Chierici patentati di questo S. Officio secondo la forma del S. Concilio di Trento: quam resolutionem refert D. Raynald. observ. crim. suppl. ad cap. 1. suppl. 3. num. 127.

4 Si autem ageretur de visitatione Monasterii Monialium exempti; vigore Clementinæ Attendentes de stat. Monac. quodammodo innovatae a Concilio Trid. sess. 25. de regul. cap. 9. & Visitator oppositionem inveniret, non esset statim ad censuras procedendum: sed prius opponentes, & impedientes essent monendi, saltem per diem ante, ad desistendum ab illato impedimento, quod si nollent respicere, tunc ipso jure excommunicationem in d. Clementina contentam incurserent, & Episcopus Visitator, posset impedientes, & opposentes sic innovatos publicè denunciare, absque alia sententia, Glos. in d. Clem. verb. impediare, & verb. ipso facto Barbos. ibid. numero 6.

5 Veruntamen si Moniales exemptæ acersitis Notario, & testibus protestarentur, se esse paratas, & promptas Visitatorem cum debito numero, & qualitate personarum recipere, & per se non stare, quo minus illum canonico modo admittant: & nihilominus Visitator numerum superfluum personarum, vel qualitates a Clementina requisitas non habentium secum ducere, & introduce re in Clausuram vellet, tunc oppositio

Monacel. Formul. Pars III.

esset juridica nec posset Visitator impe dientes justè censura percellere, c. ut juxta de offic. ordin. d. Clem. Attenden tes s. ipsos juncta glos. in verb. viris aliis: imo potius ipse Visitator fines suæ facultatis excederet, Graff. dec. aur. par. 2. lib. 3. c. 27. num. 60. & ad interesse tene retur, si ita impedientes excommunicaret Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 31. num. 12. vers. addit. glosa.

Prout ex actis visitationis. Notarius, 6 sive Actuarius visitationis testatur de oppositione, & excommunicatione respecti vè, tanquam de re pertinente ad suum officium: nam Episcopus, neque ejus Vicarius non debet in aliquo se ingerere: quia per quemcunque actum judiciale, quem faceret, videretur recessisse à via procedendi ut pars: liber autem seu acta visitationis, ab eodem Notario, seu Actuario conscripta, & in Cancellaria Episcopali retenta plenam inducunt probationem de contentis in illis: ideoque ratione officii publici, ejus attestationi standum est, ut in terminis probat Ricc. prax. rer. for. Eccles. part. 1. resolut. 545. per tot. cum certum sit, quod Episcopus sententiam ex communicationis à se latam, per Notarium, aut Scribam valeat promulgare, Sayr. de censur. lib. 1. cap. 13. num. 4.

Cauta autem Episcopus Visitator agendo, debet antequam ad visitandum accedit, scripto præmonere visitandos, ut parent se certa die ad recipiendam visitationem, nec non deputare visitationis Officiales, & præfertim Actuarium cum facultate Notarii publici, dato per eum in actis juramento de fideliter officium exercendo, ne unquam de illius deputatione, & fide sit dubitandum.

De excommunicatione contenta in Constitut. Greg. XIII. Dubiis, Bullar. tom. 2. pag. 394.

Hæc Gregorii Constitutio, fuit à me per extensum data in par. 1. in Append. pag. 283. cuius dispositione violetur, jam dictis hic aliqua addere pro illius vera intelligentia, abusus præveniendo non piget, nec te addita forte legisse pugabit.

K 3 Di-

Dico igitur, quod si Episcopus in primordio iuri gubernii, &c. in Syndicatu Vicarii Capitularis inveniret certitudine facti, illum absque necessitate plures ingressum fuisse Clausuram Monasteriorum Monialium, vel in eam numerum excessivum personarum, etiam laicarum

introduxisse, poterit si sibi pro exemplo futurorum Vicariorum Capitularium, pro correptione delinquentis expedire videatur, declarare eum incidisse in excommunicationem contentam in d. Bulla, modo sequenti.

Sententiae Declaratoriae.

F O R M U L A X L.

Visis actis Syndicatus R. D. N. Vicarii Generalis Capituli proximae praeteritae Sedis vacantis hujus nostrae Cathedralis Ecclesiae, ex quibus satis constat (prater alios notabiles defectus sui regiminis) ipsum Vicarium Capituli munere fungentem, abutendo facultate sibi ratione officii à jure tributa per tres vices absque necessitate, & etiam a laici juvenibus associatus, contra expressam prohibitionem Bullæ Greg. XIII. quæ incipit *Dubiis in Clausuram Monasteriorum Monialium hujus Civitatis, neimpè S. N. & S. N. ingressum fuisse: visa monitione contra eum exequuta, dicimus, & declaramus prænominatum N. incurrisse excommunicationem contentam in d. Bulla, & tanquam excommunicatum, esse publicè denunciandum, prout nos contra eum Cedulones relaxantes, denunciari volumus, & mandamus, &c.*

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

S U M M A R I U M.

- 1 Vicarius generalis Capituli, tenetur stare Syndicatu.
- 2 Episcopus novus, omittens Syndicatum contra Vicarium Capituli, peccat mortaliter.
- 3 Vicarii Capitulares, saepè abutuntur iurisdictione.
- 4 Quænam sint crimina, quæ cadunt sub Syndicatu Vicarii Capituli ostendit, & n. 5. & 6.
- 7 Quæ possit facere Vicarius Capituli suo jure ordinario ostendit, & n. 8. 9. 10. & 11.
- 12 Prælati non possunt ingredi Clausuram Monialium, nisi occurrente necessitate, & à paucis, & Eccle-

- siasticis Viris associati, non autem a laicis, num. 13. & 14.
- 15 Prælati visitantes septa Monialium, non possunt, nec debent secum ducere plusquam octo personas, & n. 16.
- 17 Vicarius Capituli, si est Bullæ Gregor. XIII. transgressor, an & quando à censuris sibi comminatis ab Episcopo appellat ostenditur.
- 18 Vicarii Capitulares visitantes septa Monialium, & non servantes Bullam Greg. XIII. censuras in ea comminatas incurvant, & vindicatur conclusio ab objectis num. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & 30.
- 31 Vicarius Capituli Bullæ Gregor. XIII. transgressor, absolvitur ab Episcopo.

Denun-